

hic admonere oportet lectorem, ne putet hujus erroris tutores ideo dici hæreticos, quia 14. luna Pascha celebrant, sed quia ita esse necessario faciendum credebant. Poterat enim imponere ipsum Pascha 14. luna celebrari, si Ecclesia id statuisset, & tunc si ita celebrarent, non male agerent. Verum Ecclesia in memoriam Dominiæ resurrectionis quæ die Dominico facta esse creditur, decrevit ut Pascha semper die Dominico celebraretur. Nunc ergo post Ecclesiæ statutum non licet alio die Pascha celebrare. Qui autem 14. luna, quocumque die venit, Pascha celebrat, quamvis male agat, non tamen est hæreticus censendus, nisi ita esse necessario faciendum crediderit. Nam si credit Pascha esse necessario celebrandum 14. luna, quocumque die illa occurrat, tunc verè hæreticus est. Et sic credentes vocantur Tessalædecaditæ, hoc est quartadecimani, sic appellati a 14. luna, quæ putant Pascha esse necessario celebrandum. Hujus hæresis auctorem & primum inventorem non expressit Augustinus in libro de hæresibus, quamvis hanc hæresim inter alias recensent 29. sed solum dicit illos vocari Tessalædecaditæ. Tertullianus tamen in libello suo de hæresibus, nominat quendam Blastum quem dicit fuisse hujus hæresis auctorem. Huic errori (teste Augustino) adhaeserunt Anthropomorphytæ. Istorum ergo sententia inde convincitur hæreticos, quod supra in titulo De lege offendimus, esse hæresim asserere caeremonias, & judicia legis veteris obligare tempore legis Evangelicæ. At quo tempore sit Pascha celebrandum, ad caeremonias pertinet, ideo oportet, ut tale præceptum de celebratione Paschæ decimaquarta luna, sit etiam per mortem Christi inane redditum. Nam Paulum reprehendens Galatas eo, quod caeremonias legis observandas putarent, inter alia dicit: (cap. 4.) *Dies observatis, & mensis, & tempora & annos.* Quibus verbis aperte docuit diæternam observationem, qui in lege veteri præcipiebantur, jam esse malam: tantum abest, ut eam esse sub præcepto crediderit. Qui rem gestam plene nosse cupit, legat Eusebium in historia Ecclesiastica, cap. 24. libro quinto: quoniam ibi narrat, quo pacto hæc quæstio fuerit olim ventilata. Historia etiam Tripartita, lib. 9. cap. 37. & 32. aliquid ultra narrat.

#### PAUPERITAS.

DE hac re est unus error, quo docetur neminem posse ad vitam æternam pervenire, nisi taliter fuerit pauper, quod nihil proprium habeat: quoniam (ut illius tutores ajunt) talis fuit Apostolorum vita. Hujus erroris auctores, teste Augustino in libro de hæresibus, cap. 40. vocati sunt Apostolici, qui arrogantissime sibi ipsi tale indidere nomen, dicentes se Apostolorum vitam sequi. Hæc sententia apertissime convincitur esse hæretica, quoniam nihil est vitæ æternæ repugnans, nisi tale sit expressa prohibitione interdictum. Nam quod nunquam est prohibitum, intelligitur esse concessum, & per consequens non potest, cum factum fuerit, ab ingressu gloriæ aliquem impedire. At proprium habere, nunquam fuit à Deo omnibus sine discrimine prohibitum: erit ergo licitum. Quod si quis dicit Christum interdixisse omnibus rerum proprietatem, per id quod habetur apud Lucam: (cap. 14.) *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus:* falsum est: quoniam illis verbis solum prohibuit Christus affectum rerum temporalium, non autem proprietatem. Ille enim visus est Christo omnibus renuntiasse, qui quamvis di-

virias habeat, paratus est omnes perdere, antequam Deum propter illas offendat. Et si quis contenderit illa verba esse intelligenda de renuntiatione quantum ad opus, & non de renuntiatione in affectu, dicat tunc quo pacto intelligendum erit illud, quod apud eundem Lucam (cap. 18.) habetur: *Amen dico vobis, nemo est qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Ecce qualiter præcipit relinquere domum: quoniam eodem modo jubet illum relinquere, quomodo jubet relinquere parentes & fratres, & uxorem & filios. At hæc omnia non ita vult à nobis relinquere, ut illis careamus, sed ne in illis cor nostrum taliter figamus, quod illarum rerum amor nos ab amore Dei separet. Nam qui parentes habet, non potest illos relinquere sic ut illis careat, nisi parentes moriantur, quoniam quocumque se verat, dum vivunt, parentes erunt illius. Parentes autem interficere est impium. Non ergo sic præcipitur parentes relinquere, ut parentes sui esse desinant, & per consequens, nec sic etiam præcipitur, domum, aut aliam possessionem relinquere, ut sua esse desinat, sed sic præcipitur, ut similia relinquat, ne videlicet illarum rerum affectus nos quoquo pacto ad Dei amorem, aut omnino frigidus, aut tepidus efficiat. Sic ergo eas possidere oportet, ut fiat, juxta Prophetæ consilium, (Psal. 16.) *Divitias si assilant, nolite cor apponere.* Et si quis objiciat illud, quod Christus dixit discipulis suis, cum eos ad prædicandum misit. (Matth. 10.) *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris:* huic respondemus, illa verba non pertinere ad omnes Christianos, sed ad solos Apostolos: neque ad illos pro omni tempore, sed solum pro eo tempore, quo ad prædicandum mittebantur. Verum de hac re superius in titulo De Apostolis, hæresis secunda, longius disputavimus. Præterea, cum juvenis quidam à Christo quævisset quid boni faceret, ut posset vitam æternam habere, respondit illi Christus dicens: (Mat. 19.) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Expressim autem quæ essent hæc mandata, nullum de abdicandæ rerum proprietate explicuit: non est ergo necessarium rerum abdicacionem facere, quamvis sit majoris perfectionis: quod ipse ordo verborum Christi apertissime ostendit. Nam postquam dixit observationem mandatorum esse sufficientem ad vitam æternam consequendam, postea exprimit volens majoris perfectionis statum, dicit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Hoc inquam perfectionis majoris est opus, non necessitatis. Rursum: Si nihil licet habere proprium, quomodo beatus Paulus jubet reddi omnibus debita? cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal? Si enim non licet habere proprium, nullum erit debitum Principi tributum, aut vectigal. At tributa debentur Principibus: ergo licet habere proprium. Valeant ergo superciliosi Apostolici, & renuntient rerum proprietati, si ipsi volunt: & bene facient si viam salutis non præcludant aliis, qui proprium aliquid sibi retinent.

Secunda hæresis est, quæ adeo paupertatem extollit, ut dicat omnia peccata consumi sola paupertate. Hujus erroris auctor fuit quidam Guilielmus Antuerpiensis, ut testatur catalogus hæreticorum. Quo autem tempore hic Guilielmus fuerit, cum catalogus subiecerit, ab alio discere non potui. Hunc tamen Guilielmum dicit fuisse hominem delictis carnis deditum, & postea rebus suis renuntiasse, dicentem paupertate omnia peccata de-

leri, & meliorem esse publicam meretricem pauperem, quam sit quicumque casus aliquid possidens. Et certe si de paupertate spiritus loqueretur, non moveremus arma contra eum, quoniam hæc paupertas spiritus, quæ est omnium rerum terrenarum contemptus, cum habeat fecum, tamquam illum annexam charitatem, non paritur peccatum mortale secum, quemadmodum nec charitas. Ideo Christus ait: (Mat. 5.) *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum.* Verum constat hunc hæreticum non loqui de hac paupertate, sed de illa paupertate, quæ alio nomine dicitur inopia, quæ est defectus quidam, & sola divitiarum privatio. Contra hanc sententiam est illud, quod Dominus ait: (Exod. 23.) *Pauperis non miseraberis in judicio.* Si pauperem Dominus damnavit præcipit in judicio: ergo solum esse posse fieri, ut pauper sit, & reus. Præterea ex tribus quæ odit Sapiens, (Eccl. 28.) unum est pauper superbus. Tres (inquit) species adicit anima mea, & aggravor valde animam illorum, pauperem superbum, & divitem mendacem, & senem factum & insensatum. Ecce vides pauperem superbum. Si superbum: ergo peccatorem: & per consequens oportet, ut non omnia peccata consumat paupertas, cum secum patitur superbiam. Rursum, ipse veritatis magister ait: (Matth. 19.) *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Si paupertas sufficeret consumere omnia peccata, postquam Christus præceperat juveni, ut venderet omnia quæ habebat, & daret pauperibus, non erat opus postea addere, & sequere me. Verum quoniam possibile erat omnia vendere, & in elemosynas pauperum distribuere, & cum his peccare: ideo Christus post illa subjungit, & sequere me. Quod Paulus apertius exprimit volens, dixit: (1. Cor. 13.) *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ecce paupertatem nec solum, sed convictam elemosynæ, non valentem consumere peccatum, quoniam illam dicit Paulus posse haberi sine charitate, & nihil prodesse.

Tertia hæresis cum secunda proxime narrata hæresi velut ex diametro pugnat. Dicit enim paupertatem non solum esse inutilem, sed etiam noxiam. Hujus erroris auctor fuit quidam Desiderius Longobardus, tempore Alexandri Papæ, hujus nominis quarti, dicens non esse licitum omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem intraret, quæ possessiones habeat, vel nisi talis sit qui de labore manuum suarum vivere possit. Eodem tempore fuit alius Guilielmus de sancto amore, qui tractatum quemdam scripsit contra monachos mendicantes, præsertim contra Minores & Prædicatores, in quo libro hoc persuadere conatus est, paupertatem videlicet habitalem esse licitam, non autem actualem, hoc est, licitam esse animi promptitudinem ad relinquendam omnia pro Christo, cum necessitas urgeret: hæc tamen necessitate seclusa illicitam esse dici paupertatem, per quam aliquis renuntiat omnibus quæ possidet, ut liberius Deo servire liceat. Et licet diversa sint istorum duorum verba, inter eos tamen de eadem re convenit, quoniam ambo damnant paupertatem secundum, quam aliquis omnia pro Christo relinquat. De alia vero re certare videntur, quoniam Desiderius eam paupertatem se probare innuit, quæ habetur in religionibus possessiones habentibus: damnat tamen illam paupertatem cui est annexa mendicitas. At Guilielmus de sancto amore, omnem paupertatem actualement damnat. Mendicitatem esse lici-

tam & meritoriam, superius in titulo De mendicitate factis aperte (ut existimo) offendimus. Ad paupertatem vero extollendam sufficit illud, quod veritatis magister dixit juveni quærenti, quid boni faceret, ut vitam æternam possideret. Nam postquam dixerat illi mandatorum observationem esse ad id præstandum satis efficacem, majoris perfectionis viam ostendere illi volens, subdidit: (Matth. 19.) *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Quod si quis forte dicat illud esse intelligendum de affectu, ut videlicet omnia contemnat, non autem, ut opere relinquat hoc aperte convincitur per id quod ibidem dicitur, *da pauperibus.* Eo enim animo debet vendere, ut det pauperibus. At qui dat pauperibus, non solum affectu relinquat, sed etiam opere. Sed forte dices, quod illa bonorum in pauperes erogatio, sit etiam illi juveni præcepta quantum ad solum affectum. Ad hunc modum posset quilibet interpretari omnia præcepta esse intelligenda de solo affectu, & ita nullum opus erit in præcepto. Præterea, si solum præcipiebatur affectus, & non opus, quare juvenis audito Christi consilio abiit tristis? Non enim fuisset tristitia affectus, si nihil fuisset illi dictum de bonorum suorum renuntiatione, & pauperum subvectione exercenda. Cum audisset (inquit Evangelista *Ibidem*) *adolescens verbum hoc audiens abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones.* Ecce causam quare abiit tristis, quia videlicet multas habebat possessiones, quas Dominus illi præcipiebat, ut pauperibus distribuere. Sic enim Theophylactus super decimumoctavam Lucæ caput ait: Ut enim Christus avaro juveni promissit cœlestem thesaurum, non attendit ille: servus enim erat pecuniarum: ideo ut audivit, abiit tristis, eo quod possessionis privatio esset ei indicta. Hæc Theophylactus. Quo loco multa alia in laudem paupertatis dicit, declarans aperte illa Christi verba de renuntiatione opere exercenda ad acquirendam illam perfectionem, quam Deus juveni consulebat. Sed hæc omnia brevitatibus causa omitto. Rursum, Apostoli reliquerunt omnia pro Christo: nam relicti omnibus sequuti sunt eum. Et Petrus omnium nomine dicit Christo omnium magistro: (Matth. 19.) *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Deinde Ecclesia cujus iudicium in rebus fidei est infallibile, probavit monachorum mendicantium paupertatem non solum esse licitam, verum & meritoriam. Magis ergo oportet credere Ecclesiæ paupertatem laudanti, quam hæreticis illam vicuperantibus. Contra hæc hæresim Alexander quartus duo decreta ædidit. Contra illam scripsit bis beatus Bonaventura. Scripsit enim apologiam de paupertate, & alium tractatum de paupertate Christi contra præfatum Guilielmum, qui duo tractatus habentur inter opuscula beati Bonaventuræ, quæ vulgo circumferuntur. Beatus Thomas scripsit contra eandem hæresim unum tractatum, cujus titulus est, contra impugnantes religionem, qui habetur in volumine opusculorum ejus.

Quarta hæresis est quæ de Ecclesiasticorum paupertate disserit, asserens Ecclesiasticos viros debere esse pauperes, sola contentos elemosyna. Verum de hac hæresi jam supra disputavimus in titulo De Ecclesiæ, hæresi quarta. Illo enim loco offendimus licitum esse viris Ecclesiasticis habere possessiones & redditus.

ni contra tam expressum scripturæ testimonium aliquid dicere, præsertim cum sua sententia maximam Deo impingant injustitiam, ut hominem videlicet justum, qui nullum unquam peccatum commisit, propter culpam alterius damnet. Contra hunc errorem militant etiam illa quæ supra contra errorem Donatistarum protulimus in titulo de Ecclesiæ heresi prima: quo loco ostendimus malitiam unius personæ nullo pacto obesse alteri ad vitam æternam.

Tertia heresis asserit peccatum non esse à libero arbitrio, sed à dæmone. Hujus heresis auctor fuit Valentinus, cui postea adhæsit impius Manichæus. Eandem heresim postea suscitavit Armeni, dicentes (prout Guido illis impingit) nullum fuisse futurum peccatum: si dæmones non fuissent, qui homines tentatione sua ad peccandum impellerent: quapropter dicunt peccatum esse simpliciter à dæmone, & nullo modo à libero arbitrio. Armenis in hac parte consentiunt Albanenses. Hæc heresis convincitur per id quod Sapiens Ecclesiasticus cap. 15. ait: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua. Si volueris mandata conservare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam servare. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrigere manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Hæc sapiens. Ex cujus verbis constat peccatum etiam esse à libero arbitrio, sicut & bonum opus, quoniam potest manum suam porrigere ad aquam & ad ignem, ad vitam & ad mortem, ad bonum & ad malum. Præterea si arbitrium hominis est liberum: ergo potest se ad utramque partem flectere & reflectere, quoniam alioqui non esset liberum. Cum ergo ad malum juxta hæc libertatem se flectit, tunc malum erit ab ipso, & non à dæmone, cum dæmon non eligat, sed ipsum hominis arbitrium. Rursum, si peccatum dicitur esse à dæmone, aut ergo à dæmone cogente nostram voluntatem ad peccandum, & tunc voluntas nostra non erit libera, cum possit cogi: at voluntatem esse liberam, supra ostendimus in titulo de Libero arbitrio; aut peccatum dicitur esse à dæmone persuadente, eo quod solum persuadet sine coactione: & tunc necessarium est ut peccatum sit à libero arbitrio, cui dæmon suadet ut malum eligat. Deinde quod Armeni dicunt nullum futurum fuisse peccatum si dæmones non fuissent qui homines tentarent: hoc convincitur esse falsum: quoniam etsi primum hominis peccatum processit à tentatione dæmonis, tamen homo potuit tunc peccare etiam si dæmon non tentaret, quia homo fuerat liber creatus à Deo, quapropter bene & male agere poterat. Accedit ad hoc, quod malorum angelorum peccatum à nullo alio dæmone processit, sed à suo libero arbitrio. Si ergo primum dæmonis peccatum commissum est absque ulla alterius dæmonis tentatione: ergo etiam homo potuisset peccare etiam si nulla dæmonis tentatio processisset: quoniam multo major est vis angelorum, quam hominum. Ergo si in angelis suis reperit Deus pravitatem (Job 4.) quanto magis homines qui habitant domos luteas corporum suorum? Præterea unusquisque tentatur (ut ait Apostolus Jacobus cap. 4.) à concupiscentia sua abstractus & illectus. Non est ergo opus tentatione dæmonis, ut peccatum committi possit. Demum si peccatum esset à dæmone, & non à libero arbitrio, frustra suaderetur hominibus ut non peccent. Sed hoc si possibile foret, esset persuadendum dæmoni: à quo est peccatum. Christus tamen euidam quem ipse à languore sanaverat, ait: (Joan. 5.) *Ecce jam sanus:*

*factus es, jam amplius noli peccare.* Et Paul. in priore, quæ est ad Corinth. epist. cap. 13. ait: *Evigilate iusti, & nolite peccare.* Si peccatum à dæmone est, & non à nostro libero arbitrio, frustra nos monet ut cavemus à peccatis. Adversus tam apertum errorem hæc patacula sufficiant. Contra hanc heresim neminem scio qui ex professo scripserit: quamvis Augustinus sæpe contra eam disputet: præsertim in libris de libero arbitrio, & in libro secundo de moribus Ecclesiæ.

Quarta heresis docet omne opus quantumlibet recte factum, esse peccatum. Hujus erroris auctor est Lutherus, dicens justum in omni opere bono peccare. Ex quo putrido fonte alium errorem deducit, dicens neminem esse certum se non semper peccare mortaliter. Verum de hoc errore jam supra disputavimus in titulo de operibus. Ibi enim ostendimus ex scripturis, multa esse opera bona quæ nullam prorsus habent mixtam malitiam, & in illis certum est multos non peccasse mortaliter cum illa operati fuerint. Sed si quis ultra illa quæ nos in titulo de operibus diximus, aliquid videre desiderat legat Joan. Rossensem Episcopum in suo opere quod fecit pro assertionem confutationis Lutheri, articulo 35.

Quinta heresis docet Aetius, dicens nullum peccatum quantumlibet grave imputari homini habenti fidem. Hunc eundem errorem tandem sepultum suscitavit hoc nostro sæculo Lutherus, dicens solam fidem absque ullo alio opere esse satis ad vitam æternam consequendam. Sed hunc errorem jam supra ex sacris scripturis, convincimus. Nam in titulo de fide, heresi. 2. ostendimus apertissimis scripturæ sacre testimoniis fidem solam minime sufficere ad æternam gloriam adipiscendam, sed esse etiam necessaria alia opera, illa videlicet quæ præceptis expressis nobis juncta sunt. Quod si opera etiam exiguntur, & sola fides non sufficit, apertissime colligitur posse fieri ut aliquod peccatum imputetur habenti fidem.

Sextam heresim inveniunt Armeni, dicentes esse aliqua peccata prorsus irremissibilia, quæ à nullo unquam Sacerdote remitti possunt. Contra hoc est illud quod Christus dixit Petro: (Matth. 16.) *Quodcumque ligaveris super terram, erit solutum & in caelis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Qui totum dicit, nihil excludit. At Christus non dixit: Si solveris hoc, aut illud, erit solutum in caelis: sed, quodcumque (inquit Matth. 18.) *solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Non est ergo aliquod peccatum quod à Petro remitti non possit. Præterea, omnibus Apostolis dicitur: (Joan. 20.) *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Et iterum: *Quorum remisistis peccata, remissa erunt.* Ecce videt non solum Petro, sed omnibus Apostolis datam esse potestatem solvendi non hoc aut illud peccatum, sed omne. Quaecumque (inquit) *solveritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Verum Armeni objicere nobis possunt illud Salvatoris, dicens: (Matth. 12.) *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

Ex quo loco videntur colligere peccatum in Spiritum Sanctum, non posse ab aliquo Sacerdote dimitti. Sed hoc non ita se habet, quoniam Christus non est locutus in universum de omni peccato in Spiritum Sanctum, sed de aliquo. Non enim dixit nullum peccatum in Spiritum Sanctum remittendum, sed dixit spiritum blasphemiam non remitt-

mittendum. Et qui dixerit (inquit ille) contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. Et hoc nos fatemur esse aliquod peccatum quod numquam remissum est, neque remittetur. Hoc autem est duritia cordis, qua homo renuit usque ad finem vitæ remissionem peccati per poenitentiam accipere. Tale inquam peccatum numquam remittetur, non quod irremissibile fuerit, sed quia numquam de illo peccator poenituit, ideo nunquam in hac vita remittetur: post mortem vero etiam si poeniteat, non remittetur, quoniam à mortuo velut qui non est, perit confessio. *Quamdiu autem peccator vivit, illum* (sicut dicit Apostolus Rom. 2.) *patientia Dei ad poenitentiam expectat:* etsi poenitentiam egerit, & à Sacerdote absolutionem recipere non contempserit, ejus peccatum, quantumlibet grave fuerit, absque dubio in hoc sæculo remittetur. Si vero perseverat in iniquitate, sicut ibidem subjungit Apostolus, *secundum duritiam cordis sui, & cor impenitens, thesaurizat sibi iram in die justitiae Dei: huic tali non remittitur in hoc sæculo, neque in futuro.* Et hoc modo interpretatur beatus Augustinus illum Matthæi locum in quadam epistola ad Bonifacium Comitem, quæ est quinquagesima in ordine epistolarum ejus. Aliter tamen hunc locum interpretatur Richardus de Sancto Victore, qui illa Christi verba dicit esse intelligenda non de remissione culpæ, sed poenæ. Nam dicit mitius fore agendum cum eo qui peccaverit in filium, quam cum eo qui peccaverit in Spiritum Sanctum; quoniam is qui peccavit in filium, habet excusationem, eo quod egit per ignorantiam, & ita dignus est venia, qua videlicet aliquid de poena peccato debita illi remittatur. Qui autem peccavit in Spiritum Sanctum, nullam habet excusationem, eo quod egit ex pura malitia, & ita non est dignus venia, qua videlicet illi remittatur aliquid de poena peccato debita. Itaque hanc dicit esse differentiam inter eum qui peccat in patrem aut filium, & eum qui peccat in Spiritum Sanctum, quod is qui peccat in patrem aut filium peccat ex infirmitate, aut ex ignorantia: & ideo dignus est ut aliquid ei remittatur de poena debita, poeniteat, vel non poeniteat. Is autem qui peccat in Spiritum Sanctum, peccat ex pura malitia: quapropter nihil prorsus remittetur illi de poena peccato debita, eo quod nullam habeat excusationem, cum peccaverit ex pura malitia: quia etsi peccatum ejus remittatur per poenitentiam, omnem tamen poenam peccato debitam solvet: & ita si poenitentiam egerit pro peccato, erit solutus à culpa, sed nullo pacto à poena. Hæc omnia dicit Richardus de Sancto Victore in quodam libello suo qui inscribitur De spiritu blasphemiam. Eodem fere modo interpretatur Theophylactus super Matthæum, quamquam hic videtur sentire, eum qui peccaverit ex infirmitate, aut ignorantia, sive in patrem, sive in filium, quod idem est, esse dignum venia: ut ut etiam si non poeniteat, remittatur illi, eo quod infirmitas aut ignorantia illum excusat non solum à parte poenæ, sed etiam à culpa. Richardus autem non vult illum excusari à culpa, sed à parte poenæ: & hoc dicit ille intelligendum esse per remissionem, ut ad solam poenam referenda sit. Cæterum de peccato in Spiritum Sanctum convenit inter eos, quoniam uterque sentit ideo illud non remitti, quia nullam habet excusationem, propter quam aliquid de poena illi debita remittatur, ita ut quavis poenitentia facta, culpa remittatur, oportet tamen ut omnem poenam peccato debitam solvat. Et hoc est apud istos peccatum illud non remitti. Lege illos, & forte videbitur tibi eorum ex-

positio esse litteræ germanior quam Augustini, quamvis hujus interpretatio non sit aspernanda.

Septima heresis asserit nullum capitale peccatum esse tolerandum, etiam si permittatur gratia virandi quantumvis majoris mali. Hujus heresis auctores sunt Vvaldenses, quamquam Guido Carmelita in sua summa de heresibus Vvaldensium errores recensens, nunquam hujus erroris meminit. Sed Eneas Sylvius, qui postea Papa Pius secundus est vocatus, in libro de origine Bohemorum, capite 35. hunc inter errores Vvaldensium recenset. Contra hunc errorem est illud quod Christus Redemptor noster Judæis loquens apud Matthæum cap. 19. ait: *Moyse ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Ecce divortium viri & uxoris permittitur à Moyse. At tale divortium esse malum Christus ostendit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et in his verbis (ut testatur ibidem Hieronymus) non dedit novum præceptum, sed antiquum novavit, & instauravit. Et Christus ipse satis aperte expressit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et in his verbis (ut testatur ibidem Hieronymus) non dedit novum præceptum, sed antiquum novavit, & instauravit. Et Christus ipse satis aperte expressit, dicens: *Ab initio autem non fuit sic.* Quo verbo docuit matrimonium ex sua institutione fuisse indissolubile. Quod si matrimonium ex sua institutione fuit à Deo statutum indissolubile, malum est illud dissolvere. Verum Moyse consuecens gentem suam ad illecebras pronam, & timens ne cum aliqua viro suo non placeret, occideret à viro, ut ille aliam habere posset pulchriorem, permisit illis ut possent uxores suas repudiare cum vellent, ut uxoricidium vitarent. *Permisit* (inquit Christus) *vobis Moyse ad duritiam cordis vestri dimittere uxores vestras.* Si permisit ergo numquam tale facinus probavit: quoniam (ut ibidem admonet Chrysostomus) illa permittimus, quæ non probamus. Præterea, minus malum majori malo comparatum habet aliquam rationem boni, videlicet defectum illius gradus malitiæ, per quem majus malum excedit minus. Omnis autem declinatio à malo bona est. Et juxta illam rationem boni potest quodammodo acceptari à voluntate. Rursum, ea quæ fiunt per metum, sapissime excusantur, quæ secluso metu non essent excusanda. Non autem excusantur nisi ratione majoris mali proxime urgentis: ergo minus malum potest licite quique sumere tamquam medium quo possit evitare majus malum quod imminet. Malum est enim si aliquis in mare projiciat merces, quas sine ullo damno poterat servare, ut in bonos usus converteret. At si tempestas urgeat, juste illa mergit, timens ne si illas servare voluerit, ipse mergatur. Et si hoc licet particulari personæ & privatæ: cur non etiam licebit personæ publicæ? Si de castitate omnium virorum firmiter confiditur, malum est permittere meretrices in populo. Sed si his de populo ejectis, violanda est fides conjugii, ita ut, sicut quidam Propheta (Hier. 5.) ait: *Unusquisque ad uxorem proximam suam hinciat, & immutandus est usus naturæ in eum qui est contra naturam, ut* (sicut ait Apostolus Rom. 1.) *masculi in masculos turpitudinem suam operentur, & si hæc vere timentur eventura, expedit tolerare meretrices magis quam eas expellere.* Accedit ad hæc præceptum patrisfamilias, qui servis suis volentibus tollere zizania de agro in quo erat seminatum triticum, præcepit ut sinerent ea usque ad messem, ne forte colligentes zizania, eradicarent simul & triticum. (Matth. 13.) Qui zizania permittit in agro, timens ne eradicetur triticum:

## PECCATUM.

Circa ea quæ de peccato fides Catholica nobis credenda opponit, multifarie hæretici hucusque peccaverunt. Primo quidem erraverunt aliqui, dicentes nullum esse peccatum originale: quam ob causam dicunt parvulos nullum peccatum originale habere. Hujus erroris magister fuit Pelagius monachus, dicens parvulos non ideo baptizari quia peccatum habeant, quod per baptismum fit remittendum, sed quia non sint recepti in gratiam adoptionis filiorum Dei, ad quam dicit eos per baptismum recipi, ut in regno celorum admittantur. Nam parvulos qui sine baptismo decedunt, dicit eos habere vitam quamdam beatam & æternam, extra tamen regnum Dei. Hæc omnia incommoda Pelagius admittit, eo quod negat originale peccatum, quod intelligere non valet. Hunc eundem errorem tutantur Armeni, quamquam aliter, quoniam etsi dicant originale peccatum nullum esse, fatentur tamen baptismum esse necessarium ad vitam æternam consequendam. Parvulos vero qui sine baptismo decedunt, negant habere vitam æternam, sed dicunt eos ire ad paradysum terrestrem si filii sint fidelium: quod si fuerint infidelium filii, dicunt illos descendere in infernum cum parentibus suis. Omnis ergo alius erroribus, qui huic proposito minime conveniunt, consistit hunc esse communem istorum errorem, quod Armeni consentiant Pelagio in hoc, quod peccatum originale negant. Eidem errori favent Albanenses. Erasmus Roterodamus suspitionem non mediocrem præbuit, se male sentire de peccato originali, nam in annotationibus suis super novum testamentum, declarans illa Pauli verba ex epistola ad Romanos: (cap. 8.) *In quo omnes peccaverunt*, dicit, ideo Paulum dixisse omnes in Adam peccasse, quia peccando omnes illum imitantur: Originale igitur peccatum Adæ ad omnes transfusum esse dicit, imitatione, non propagatione: quia ab Adam nati solum peccandi imitationem recipiunt, & non peccatum aliquod. Quibus verbis veram peccati originalis rationem apertissime tollit: quia infans recens natus, cum tunc non imitentur Adam in peccato actuali, nullum tunc, juxta doctrinam Erasmi, peccatum habebunt. Contra hanc hæresim est illud, quod in tertio Regum (cap. 8.) habetur: *Non est homo qui non peccat*. At cum parvuli sint homines sicut viri, convincitur inde illos etiam aliquod peccatum habere. Non autem habent peccatum actuale, cum non adhuc habeant usum liberi arbitrii, qui maxime exigitur, ut peccatum possit alicui imputari: ergo oportet, ut parvuli peccatum originale habeant, cum non sit aliud peccatum quo infici possunt, nisi originale, aut actuale. Alias enim non esset verum, omnem hominem aliquando esse peccato obnoxium, quod juxta scripturam divinam de omni homine est verum, quoniam etsi parvulus baptizatus, tunc omni peccato caret, tamen aliquando sub peccato fuit, videlicet ante baptismum. Si tamen nullum esse peccatum originale, multi erunt homines, videlicet parvuli, qui nunquam peccaverunt. Præterea regius Propheta suam miseriam rectius, quam Pelagius agnoscens ait: (Psal. 50.) *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Petens enim à Deo misericordiam, quo facilius eam impetret, allegat suam miseriam inclinationem, & in peccatum pronitatem, quam à parentibus contraxerat. At si diceret: Ideo misereri mei debes, quia

non ex malitia, sed ex infirmitate peccavi: hanc autem infirmitatem in ipso matris utero conceptus, passus sum. Si nullum est peccatum originale, ostendat Pelagius, & ejus imitatores quænam sit illa iniquitas, & quod est illud peccatum, quod infans in utero matris habet. Cum ergo aliud non possit esse peccatum præter originale, convincitur inde, ut aliquod sit originale peccatum. Rursum, Sapiens in Ecclesiastico, (cap. 40.) ait: *Grave jugum super filios. Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulture in matre omnium*. Quod est aliud jugum super omnes filios Adam, nisi peccatum originale, quod ab Adam descendens in omnes homines pertransiit? Jugum autem dicitur peccatum originale, quia jugum ex conjunctione duorum offertur, & illud, cui imponitur, quodammodo premit. Sic etiam peccatum originale contrahit omnis homo, qui ex conjunctione maris & femine concipitur. Quapropter Christus redemptor noster, etsi verus fuerit homo & filius Adæ secundum corpulentam substantiam, nunquam tamen jugum originalis peccati suscepit, quia operante altissimi virtute incarnatus est de Spiritu Sancto, & non ex conjunctione duorum, videlicet maris & femine. Quod autem dicit Ecclesiasticus hoc jugum esse super omnes filios Adam, usque in diem sepulture, ideo dixit, quia etsi peccatum originale per baptismum deleatur, manent tamen toto tempore hujus præsentis vitæ multe calamitates & miseriae, quæ ex peccato originali, tamquam ex fonte ortum habuerunt. Deinde beatus Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola, (cap. 3.) ait: *Omnes peccaverunt, & egent gratia Dei*. Si omnes peccaverunt: ergo parvuli peccaverunt. Non autem peccaverunt peccato actuali, qui ad usum liberi arbitrii nondum pervenerunt: ergo peccaverunt peccato originali. Et in eadem epistola, (cap. 5.) iterum ait: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Si per peccatum mors intravit in omnes homines: ergo injuste parvuli moriuntur, quoniam illi antequam ad ætatis discretionis perveniant, nullum, juxta istorum hæreticorum doctrinam, peccatum habent. Similiter potest ab illis hereticis peti, quare parvuli sustinent dolores, patiantur famem & sitim, vexentur sæpissime à dæmonibus, si nullum habent peccatum, ex quo hæc omnia processerunt? Cum ergo omnia hæc parvuli patiantur, constat eos aliquod peccatum habuisse propter quod sic puniuntur: alioqui injustus esset Deus, qui prius aliquem puniret, quam ille esset peccator. At impium est crimen injustitiæ Deo impingere: impium est ergo asserere nullum esse peccatum originale. Quod si aliquod est peccatum originale, oportet ut illud per baptismum tollatur: quoniam parvulus si baptizatus decedit, salvatur, juxta illud Salvatoris. (Mar. ult.) *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. At si post susceptum baptismum peccatum maneret, non salvaretur: quia in illam supernam civitatem sanctam Hierusalem nihil inquinatum intrat: quapropter oportet, ut baptisimi lavacro peccati originalis maculam deleat, qui in gloriam intrare vult. Sic enim Salvator ait: (Joann. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. De hac re extat Concilii Milevitani definitio, quod in secundo capite decretorum ejus de hac re, adversus Pelagium sub verbis sequentibus definit: Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit quidem in remissionem peccatorum

eos

eos baptizati, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expiatur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Denique Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum hanc eandem hæresim damnavit, sessione quinta, sic inquit: Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini asserit nocuisse, acceptam à Deo sanctitatem & justitiam, quam perdidit sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum, per inobedienciæ peccatum, mortem & penas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit. Cum contradicat Apostolo dicenti, per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium tolli asserit, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo factus nobis justitia, sanctificatio & redemptio: aut negat ipsum Jesu Christi meritum per baptismi sacramentum, in forma Ecclesiæ rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari, anathema sit: Quia non est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; unde illa vox: (Joann. 1.) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Et illa: (Galat. 3.) *Quicumque baptizati estis, Christum induistis*. Hæc Concilium Tridentinum. In quibus verbis non solum Pelagii & Armenorum, sed etiam Erasmi damnatur error. Contra hanc hæresim scribit Augustinus in illo opere, quod dicitur Hypognosticon, libro quinto. Fecit & alium tractatum, qui inscribitur de baptismo parvulorum, & hic habetur in volumine epistolarum ejus epistola 23. Cæterum, quod Armeni dicunt parvulos infidelium sine baptismo decedentes, descendere in infernum cum suis parentibus, hoc ex proxime sequenti hæresi patebit esse falsum, quoniam ibi ostendimus neminem damnari, nisi propter peccatum proprium.

Secunda hæresis docet omnes homines ante passionem Christi fuisse damnatos propter peccatum primorum parentum. Hujus hæresis auctores Guido asserit esse Armenos. Dicit enim Armenos sentire primorum parentum peccatum fuisse adeo noxium, ut toti posteritati usque ad passionem Christi nocuerit, & eam in infernum traxerit, non quidem propter originale peccatum, quod à primis parentibus deduxerunt nascentes, quia illud (ut proxime præcedenti hæresi patuit) nullum esse dicunt, sed dicunt omnes fuisse damnatos propter proprium primorum parentum peccatum, etiam si ipsi in se nullum habuerint peccatum. Hæc hæresis adeo est demens & fatua, ut sola narratio sufficeret ad illam exterminandam. Verum quia contra homines effrontes & duræ cervicis agimus: ideo oportet ut aliquod in illos jaciamus telum, quo illos transigamus. Primo ergo id constat esse falsum, omnes videlicet homines usque ad Christi passionem fuisse damnatos. Abraham siquidem Isaac & Jacob ante Christi passionem per multas annorum centurias fuerunt, & tamen hos fuisse salvos aperte ipsa scriptura docet. Multi inquit Christus Matth. 8.) *venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in regno celorum*. Ecce Christus aperte docet hos tres Patriarchas pertinere ad regnum celorum: ergo nunquam fuerunt in inferno damnati: quo-

Tom. I.

niam alias nunquam inde exivissent, quum in inferno nulla sit redemptio. Præterea Christus ostendens quam latum sit inter divitem & pauperem discrimen, dixit divitem epulonem post mortem esse sepultum in inferno, cum tamen Lazarus mendicus fuisse deportatus ab Angelis in sinum Abraham. (Luc. 16.) Si uterque damnatus, quod ergo discrimen inter istos? Unus ab angelis deportatus, alter autem à dæmonibus sepelitur. Si Lazarus damnatus est, cur dives auxilium illius ab Abraham petit? Si Lazarus damnatus erat, quomodo poterat digito suo intingens linguam divitis, illius ardorem temperare? Rursum, qui justus fuerunt, non est possibile ut damnati sint iustitia decedentes: quoniam non est Deus injustus, ut simul justum cum impio damnet. (Heb. 11.)

At de multis scriptura testatur eos fuisse justos, ut de Abel, Enoch, Abraham, Moysè, Davide: nullus ergo istorum damnatus est. Verum esto damnati sint omnes (ut Armeni asserunt) impossibile est illos fuisse damnatos propter solum primorum parentum peccatum nisi ipsi etiam aliquod proprium habuissent peccatum. Injustus enim esset Deus si aliquem sine culpa sua damnaret: quoniam etsi Deus aliquando temporariam & transitoriam infligit penam alicui propter peccatum alterius, nunquam tamen aliquem propter peccatum alterius æternaliter damnat. Nam cum aliquem Deus propter alterius peccatum pœna temporali puniat, ut videlicet cum filium propter peccatum patris, & contra, aut principem propter subditos, & e converso: tunc ipsum peccatum in re propria puniat, videlicet patrem in filii morte. Filium vero qui nihil mali egit, non proprie puniat, cum propter majus bonum ejus Deus illi talem pœnam inferat. Et sic ad patrem comparata illa pœna est puniatio: ad ipsum vero patientem, videlicet filium, illa pœna non est dicenda puniatio, quia nunquam Deus illum infligit, nisi ut ad majus ipsius patientis commodum cedat. At qui æternaliter damnatus est, ex hoc nullum majus bonum consequi potest: quapropter nunquam talem damnationem Deus alicui infligit, nisi propter eam exigentibus demeritis. Deus enim punire volens David ob adulterium cum Bethabee commissum, (2. Reg. 12.) filium ex illo adulterio natum mori fecit, qua morte David punivit, auferens illi rem propriam, & quam maxime diligebat, videlicet filium suum. Filius autem non potest dici punitus, cum nullam habuisset culpam, quoniam etsi mortuus est, hæc tamen mors in majus illi bonum celsit, quoniam raptus est, ne malitia muraret animam ejus, & similia patri committeret. (Sap. 4.) At si in æternum perisset filius, quod quæso illi poterat evenire commodum ex illa damnatione? Nunquam ergo Deus aliquem æterna morte damnat, nisi propter propria demerita. Nam & ipsemet sic se facturum pollicetur per Ezechielem Prophetam cap. 18. dicens: *Ecce omnes anime meæ sunt. Ut anima patris, ita & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et parum infra de filio bono habente patrem peccatorem loquens, hæc subiungit: *Hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus est, & vim fecit fratri, & malum operatus est in medio populi sui, ecce mortuus est in iniquitate sua. Et dicitis: quare non portabit filius iniquitatem patris? videlicet quia filius iudicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vivet vita. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Hucusque Deus per Ezechielem Prophetam. Veniant ergo impii Arme-*

G3333

ni

minus malum permittit, ut evitet majus. Deinde, hæc sententia confirmatur testimonio beati Gregorii, qui interpretans illa verba Job cap. 4. *Nervi testicularum ejus perplexi sunt*, hæc ait: „Nervi testicularum Leviatham, perplexi sunt, quia suggestionem illius argumenta im-  
„plicati in tantis illigantur, ut plerisque ita peccare fa-  
„ciant: quatenus si fortasse fugere peccatum appetant,  
„hoc sine alio peccati laqueo non evadant, & culpam  
„faciant, dum vitant: ac nequaquam se ab una valeant  
„solvere, nisi in alia se consentiant ligari. Et aliquibus  
„interpositis postea subdit. Est tamen quod ad destru-  
„das Beemoth versutias subtiliter fuit, dum mens inter  
„minora & maxima peccata constringitur. Si omnino  
„nullus sine peccato evadendi aditus pater, minora sem-  
„per eligantur: quia & qui murorum undique ambitu ne-  
„fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat ubi brevior  
„murus invenitur.“ Hæc Gregorius. Eisdem sententiæ  
„favet Concilium Toletanum octavum capite secundo suo-  
„rum decretorum, hæc dicens: Duo mala, licet omnino  
„cautissime sint præcavenda, si tamen periculi necessitas  
„unum ex his perpetrare compulerit, id debemus resolve-  
„re quod minori nexu noscitur obligari. Quid autem levius  
„ex his quidve gravius sit, puræ rationis acumine investi-  
„gemus. Etenim dum pejerare compellimur, creatorem  
„quidem offendimus: & nos tantummodo maculamus.  
„Cum vero noxia præmissa complemus, & Dei justia  
„reminimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos  
„ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. Illinc enim du-  
„plici culparum gladio perimus: hinc tripliciter jugulamur.  
„Hæc Concilium Toletanum. Ex quibus verbis apertissi-  
„me convincitur regem aut quemlibet aliam publicam po-  
„testatem, licite & citra omnem culpam posse permittere  
„populo sibi subdito minus aliquod peccatum, ut per il-  
„lam admisionem eundem populum avertat ab aliquo  
„alio graviore peccato, in quod juste timet illum casurum.  
„Nam multo minus est permittere quam eligere: Quia per-  
„missio potest esse sine complacencia, immo cum maxima  
„difficencia rei permittit, electio autem nunquam fit sine  
„aliqua complacencia rei electæ. Hæc autem omnia, quæ  
„diximus, de illa sola permissione intelligi volumus, quæ  
„solum excludit culpæ panitionem, & non culpam ipsam.  
„Potest quidem Rex aut quævis alia publica potestas per-  
„mittere, hoc est, non punire peccatum aliquod, ut sic  
„abstineat populus ab aliquo alio graviore. Non tamen po-  
„test permittere, hoc est, sic indulgere culpæ veniam, ut  
„faciendo id quod permittum est: si est contra legem divi-  
„nam, non peccet: quia nullus hoc modo contra legem  
„divinam dispensare valet.

Octava hæresis asserit omnia peccata esse paria, quem-  
„admodum habent Stoicorum paradoxa. Hanc hæresim tri-  
„buit beatus Augustinus Joviniano monacho. Beatus ta-  
„men Hieronymus qui duobus libris contra errores hujus  
„Joviniani disputat, nunquam hujus erroris meminit, nec  
„que illum Joviniano unquam impingit: ex quo tamen  
„non licet colligere Jovinianum non ita sensit. Potuit  
„enim fieri ut ad Hieronymi notitiam hic error non deve-  
„nerit, & propterea non scripserit adversus eum, quam-  
„vis adversus omnes Joviniani errores scribere decrevisset.  
„Verum esio non sit hoc à Joviniano assertum: cum jam  
„fit de hoc errore notatus, oportet ut aliqua adversus il-  
„lum proferamus. Christus enim Redemptor noster aper-  
„tissime docet esse aliquam peccatorum inæqualitatem. Sic  
„enim apud Mattheum cap. 5. ait: *Ego dico vobis, quia  
„omnis qui insatur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem di-*

*ixerit, fratri suo Racha, reus erit Concilio: qui autem dixe-  
„rit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* His verbis aperte offen-  
„ditur peccatorum differentia ex differentia reatus. Pejus  
„est enim esse reum gehennæ ignis, quam esse reum iudi-  
„cicio, aut esse reum Concilio: ergo pejus est etiam dicere,  
„fatue, quam dicere Racha. Præterea loquens Christus  
„discipulis suis de illis qui noluerunt eos hospitio recipere,  
„ait (Matth. 1.) *Amen dico vobis, tolerabilis erit terra  
„Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicii, quam illi civita-  
„ti.* Si tolerabilis, ergo minus erit eorum peccatum repu-  
„randum, quoniam juxta mensuram peccati erit plagarum  
„modus. (Deut. 25.) Rursum, peccatum in Spiritum  
„Sanctum gravius est, quam peccatum in patrem aut fi-  
„lium: quod ex eo convincitur, quod illud non remitti-  
„tur neque in hoc sæculo, neque in futuro, hoc autem re-  
„mittitur. Deinde, idem veritatis Magister Pilato loquens,  
„ait: (Joan. 19.) *Qui me tradidit tibi, majus peccatum ha-  
„bet.* Ecce apertissimum testimonium quo convincitur pec-  
„catorum inæqualitas. Quapropter non opus est ut lon-  
„gius de hac re disputemus. Neque opus est argumenta  
„ex philosophorum officina in medium adferre, quoniam  
„non hic disputamus adversus Stoicos, sed adversus Jovi-  
„nianum, aut quemlibet alium hujus erroris patronum,  
„qui se Christianum jactaverit.

Nona hæresis docet hominem qui semel per gratiam  
„fuerit justificatus, non posse amplius peccare. Hanc hæ-  
„resim impingit beatus Hieronymus Joviniano, libro se-  
„cundo, adversus eundem August. in libro de hæresibus  
„tribuit illam Pelagio, quemadmodum & Joviniano. Hanc  
„eamdem hæresim post multa tempora suscitavit Beguar-  
„di & Beguinæ, quamvis non ita in universum de omni  
„justo suam assertionem firmaverint, prout Jovinianus &  
„Pelagius fecere, sed contra dictos loquentes, dixerunt pos-  
„se hominem tantam virtutis perfectionem in hac misera vi-  
„ta acquirere, ut reddatur prorsus impotens ad peccatum.  
„Et certe si Beguardi & Beguinæ hoc dicerent posse fieri  
„ex quodam particulari privilegio, & specialissimo Dei  
„adjutorio alicui concessio, nullus illos propter hoc de hæ-  
„resi notasset. Potest enim Deus ex quodam insigni privile-  
„gio sic assidere voluntati alicujus hominis, ut nunquam  
„illam permittat in peccatum labi. Nam multi & illustres  
„Theologi fatentur hoc fuisse concessum Deiparæ Virgini  
„postquam unigenitum Dei filium in utero concepit: è qui-  
„bus unum proferam Richardum de Sancto Victore, qui  
„lib. 2. de Emanuele, cap. ultimo ita dicit: Quod de ex-  
„terminio peccati in beata Virgine Maria factum creditur,  
„futurum in omnibus sanctis speratur. Futurum inquam,  
„sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore  
„eorum jam factò immortali. Prius siquidem oportebit cor-  
„ruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc  
„immortalitatem. Sed hoc fuit in beata Virgine supra mo-  
„dum mirabile, & præ cæteris sanctis omnibus singulare,  
„quod in ea simul convenire potuit tanta corruptibilitas  
„cum tanta incorruptibilitate, tanta incorruptibilitas cum  
„tanta corruptibilitate. Corruptibilitas in his quæ perti-  
„nent ad pœnam, incorruptibilitas in his quæ pertinent ad  
„culpam. Hæc Richardus. Ex cuius verbis constat tale  
„privilegium fuisse Deiparæ Virgini concessum, ut prorsus  
„impeccabilis fuerit: quod privilegium nulli alii hominum  
„asserit fuisse concessum. Sed hoc dicit nos sperare ut ha-  
„beamus in alia vita, quod beata Virgo habuit in ista. Ver-  
„rum impii Beguardi & Beguinæ docent hoc posse quem-  
„libet hominem in hac vita acquirere, si per profectum vir-  
„tutum devenierit ad illam perfectionis gradum, quem  
„illi

illi assignant. Et propter hoc merito damnati sunt, quo-  
„niam omni homini existenti in hac vita dicitur: (1. Cor.  
„10.) *Qui stat, videat ne cadat.* Et Dominus docens nos  
„omnes orare, præcipit ut dicamus: (Matth. 6.) *Dimitte  
„nobis debita nostra.* Quam orationem omnes ulque ad fi-  
„nem vitæ dicere veraciter possunt. Et beatus Joannes in  
„sua prima canonica cap. 1. ait: *Si dixerimus quia peccatum  
„non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*  
„Non est ergo veritas in his hæreticis dicentibus hominem  
„esse talem in hac vita, qui peccare non possit. Contra  
„hunc Joviniani & Pelagii errorem supra largius disputa-  
„vimus in titulo de gratia, hæresi secunda. Et omnia quæ  
„ibidem contra illos protulimus, etiam pugnant contra er-  
„rorem Beguardorum & Beguinarum. Verum contra Be-  
„guardos & Beguinæ extat Concilii universalis definitio, in  
„quo octo istorum errores damnati sunt, quorum iste, de  
„quo modo agimus, est primus. Hujus autem Concilii de-  
„cretum habetur in volumine Constitutionum Clementina-  
„rum, in titulo de hæreticis, in cap. cujus initium est,  
„Ad nostram.

Decima hæresis est quæ asserit nullum esse peccatum  
„mortale, nisi incredulitatem. Hujus hæresis primus auc-  
„tor & inventor est Martinus Lutherus, & illum in hac  
„parte secuti sunt Philippus Melancthon, Joannes Calvi-  
„nus, & Martinus Butzerus, & quotquot Lutherano no-  
„mine censentur. Hunc errorem deducit Lutherus ex alio  
„pestilentissimo illius errore, qui est fons uberrimus, ex eo  
„innumeri scaturiunt errores. Dicit enim solum fidem jus-  
„tificare, & illam solum esse satis ad vitam æternam asse-  
„quendam: Opera vero non esse necessaria ad justificatio-  
„nem, neque ad vitæ æternæ consecutionem. Ex ista sen-  
„tentia evidenter colligitur, solum incredulitatem esse pec-  
„catum mortale, quod vere tollat justificationem & gra-  
„tiam. Nam si aliquid aliud præter infidelitatem esset ve-  
„rum peccatum mortale, inde apertissime sequeretur ali-  
„quid aliud præter fidem esse necessarium ad justificatio-  
„nem, & per consequens ad vitam æternam consequen-  
„dam. Quoniam si illud quod præter infidelitatem dicitur  
„vere peccatum, est alicujus operis omisio: ergo opus  
„illud omisum erat necessarium ad justificationem: alioqui  
„non peccasset, qui illud omisisset. Si illud peccatum fuit  
„alicujus mali operis perpetratio: ergo abstinere ab illo  
„opere fuit necessarium ad justificationem conservandam:  
„alioqui non peccasset qui illud scelus commisit. Constat  
„ergo nullum esse dicendum peccatum mortale nisi solum  
„infidelitatem, si concedatur solum fidem justificare. Cum  
„igitur hæc hæresis apertissime colligitur ex alia, non erit  
„opus impræsentiarum disputare: quia aliam cui ista inni-  
„tatur, & à qua dependet, jam supra expugnavimus in ti-  
„tulo De fide, hæresi secunda: solum hic addam decre-  
„tum Concilii Tridentini, quod sub Paulo tertio celebratum,  
„sessione sexta multos fidei canones pronuntiavit, inter  
„quos vigesimus septimus, hæc continet verba: Si quis  
„dixerit nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis,  
„aut nullo alio, quantumvis gravi & enormi, præterquam  
„infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, ana-  
„thema sit.

Undecima hæresis est quæ docet nullam esse differen-  
„tiam inter peccatum mortale & veniale: quoniam, ut ait,  
„nullum est peccatum veniale, sed omne peccatum est  
„mortale. Hanc hæresim docet Joannes Calvinus in illo  
„suo opere de institutione religionis Christianæ. In qua sen-  
„tentia aliquantum declinat à suo duce Martino Luthe-  
„ro: quoniam hic de infidelibus dicit, omnia illorum pec-

Tom. I.

cata esse mortalia, fidelium autem peccata dicit omnia  
„esse venialia, præter incredulitatem, quam solum dicit  
„esse peccatum mortale. Contra Lutherum non est opus  
„nunc disputare: quia id quod ait, omnia peccata infide-  
„lium esse mortalia, quamvis ego credo esse falsum, non  
„tamen constat esse hæreticum, nec de illo Ecclesia hæc-  
„tenus (quod sciam) aliquid definitivum, sed est adhuc inter  
„scholasticos Theologos controversum. Damnavit quidem  
„Concilium Tridentinum sententiam dicentem: Omnia ope-  
„ra quæ ante justificationem fiunt, esse vere peccata: sed  
„non ideo damnavit sententiam dicentem: Omnia opera  
„infidelium esse vere peccata. Reliquum vero quod ait:  
„nullum esse peccatum mortale præter solum infidelitatem,  
„ad proxime præcedentem hæresim spectat. Contra solum  
„igitur Joannem Calvinum nunc arma sumimus: quoniam  
„hic solus est qui prorsus irridet distinctionem illam peccato-  
„rum, quam omnes Theologi docent, dicentes: Aliqua  
„peccata esse mortalia, & aliqua esse venialia. Dicit enim  
„ille, omne peccatum esse mortale, & nullum veniale. Ver-  
„ba Calvini in eo libello quem scripsit contra definitiones  
„Concilii Tridentini, sunt hæc. Peccatum quodvis, quo-  
„niam Dei lege damnatum est, mortale esse fatemur. Hæc  
„ille contra canonem. 27. sessionis sextæ præfati Concilii.  
„Et contra doctrinam ab eodem Concilio capite undecimo  
„eiusdem sessionis datam, hæc ait. Si pro nihilo ducant  
„leviores, quos vocant, lapsus, insonat horribilis illa supre-  
„mi iudicis sententia. *Qui unum ex minimis istis manda-  
„tis contempserit, minimus vocabitur in regno calorum.*  
„Quamquam scire velim, quæ vocent saltem levia peccata:  
„sic enim extenuandi gratia loquuntur. Hæc Calvinus.  
„Contra istum disputantes, aliqua obiter contra Lutherum  
„annotabimus. Primo quidem valde admiror Calvinum in  
„tantam dementia incidisse, ut non solum contra om-  
„nes alios, sed etiam contra seipsum pugnantem voluerit.

Oportebat quidem illum alterius mendacii fuisse me-  
„morem, ne secum postea pugnantem convinceretur utrobique  
„fuisse mentium: nam Calvinus Lutherum in alio dogma-  
„te secutus, asserit justum in omni opere bono peccare.  
„Si justus in omni opere bono peccat, & omne peccatum,  
„ut ait, est mortale: ergo justus in omni opere bono pec-  
„cat mortaliter, & per consequens omne opus bonum erit  
„peccatum mortale. Quid obscuro potest absurdius, & stul-  
„tius dici? Qui fieri potest, vel quomodo intelligi potest,  
„ut peccatum mortale bonum opus esse censetur? Præter-  
„ea: Si homo aliquis censendus est justus, oportet ut tunc  
„careat peccato mortali: Si autem mortaliter peccat, non  
„poterit vere dici justus: quoniam peccatum mortale tollit  
„veram justitiam. Pugnant ergo tamquam ex diametro hæc  
„duo. Justus in omni opere bono peccat. Omne peccatum  
„est mortale. Sed dimissis aliis hujus Calvinii dogmatibus,  
„hoc de quo nunc disputamus aperte convincam esse fal-  
„sum & hæreticum testimoniis sacræ scripturæ, & sancto-  
„rum patrum, & aperta totius Catholicæ Ecclesiæ sententia  
„definitiva. Attamen antequam ad disputationem acceda-  
„mus, oportet declarare, quid in hac parte intelligamus  
„per peccatum mortale, & quid per peccatum veniale,  
„ne forte contingat nos in equivoco contendere, & de so-  
„la nominis ratione disputare. Peccatum mortale est illud  
„per quod tollitur vita spiritualis animæ, quæ est per gra-  
„tiam, quæ sublatâ recedit ita ut Deus ab anima in qua  
„habitabat, & inde continuo sequitur mors. Unde Augu-  
„stinus ait. *Vita corporis tui est anima tua: vita animæ  
„tuæ est Deus tuus.* Quomodo ergo moritur corpus amissa  
„anima, quæ vita est ejus, sic moritur anima amissa Deo,

Hhhh

qui

operis imperfectio oriri ex defectu deliberationis, prout contingit in motibus subreptitiis, propter quem defectum opus ipsum, non potest dici plene voluntarium, & ideo non habet plenam rationem peccati: & inde evenit, ut veniale sit, quod aliqui fuisset mortale. Juxta hanc tertiam peccati venialis significationem, dicimus non omne peccatum esse mortale. Quæ peccatorum distinctio inde sumitur, quod mortale infert mortem animæ, quæ est privatio gratiæ, & mortem æternam inferni: veniale autem nec unam, nec alteram mortem infert, sed tantum facit, ex se dignum pœna temporali. His omnibus sic declaratis, respondemus Calvino dicenti se scire velle, quid nos vocemus levia peccata. Dicimus quidem nos omnia peccata venialia appellare levia, propter leves res circa quas versantur, aut propter levem pœnam, hoc est, temporalem ad quam damnantur, quia non habuerunt plenam peccati perfectionem. Hanc peccatorum distinctionem sic declaratis, prout ab omnibus Catholicis hæctenus semper recepta fuit, nos Deo adjutore manifestis rationibus, & sacre scripturæ testimoniis comprobabimus, ut ostendamus Calvinum injuste & stulte illum irridere, & subsanare. Primo quidem offero testimonium Prophetæ dicentis: (Psal. 31.) Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Quam dicit, pro hac, subintelligendum est, ut annotat Hieronymus, impietate peccati, aut remissione peccati, quod eundem sensum reddit. Ex quibus Prophetæ verbis convincitur esse aliquæ peccata, quæ non sunt mortalia, sed venialia. Nam si sanctus est, non orat pro impietate peccati mortalis, aut pro remissione illius: quia si sanctus est, non habet impietatem peccati mortalis, pro qua orat, ut sibi remittatur. Si autem aliquam mortalem peccati impietatem olim habuit, necesse est, ut illa sit tunc remissa, quando sanctus est. Et iterum, si impietatem peccati mortalis quis habet, pro qua orat, ut sibi remittatur, fieri non potest, ut ille tunc sanctus sit: quia peccatum mortale, de quo nunc disputamus, omnem tollit sanctitatem, & gratiam. Ex quibus apertissime convincitur, illam peccati impietatem, pro qua omnis sanctus ad Deum orat, esse solum venialem & non mortalem. Idem argumentum sumi potest ex verbis Salomonis dicentis: (Prov. 24.) Septies in die cadit justus, & resurgit: impius autem dormiet in malum. Si justus est, non cadit: si cadit, non est justus. Oportet ergo, ut sit aliquis casus peccati, qui justitiam non tollat. Et huic interpretationi favet Beda, qui prædicta Salomonis verba declarans in Commentario super tertium caput epistolæ Jacobi: hæc ait. Et si enim justus per fragilitatem carnis vel ignorantiam forte offenderit, justus tamen esse non desinit. Quia ut quotidiana est hujusmodi, & inevitabilis offensio, ita est & quotidiana orationum, & bonorum operum, medela, quæ offendentem justum ne in terram portetur, & nuptialem charitatis, ac fidei vestem pulvere vitiorum sordidet, occlusus erigit. Hæc Beda, in quibus verbis aperte deest esse aliquam offensam, quæ vestem charitatis non sordidat. Præterea, hæc peccati distinctio per mortale & veniale apertissime colligitur, ex verbis Salvatoris nostri dicentis: (Matth. 5.) Omnis qui irascitur fratri suo, reus est judicio; qui autem dixerit fratri suo Rhaca, reus erit Concilio: qui autem fatue, reus erit gehennæ ignis. In quibus verbis tria describuntur peccata, quorum duo prima levia sunt, tertium vero est multo gravius illis duobus. Hæc autem differentia aperte colligitur ex

ipso diversitate pœnarum, quibus peccata illa punienda esse dicuntur. Nam pro mensura delicti, ut lex divina ait: (Dnt. 25.) erit & plagarum modus. Cum igitur ex tribus illis peccatis solum tertium, & ultimum dicatur puniendum gehennæ ignis, hoc est, morte perpetua: & nullum duorum priorum ad talem pœnam, sed ad aliam multo leviori damnatur, convincitur inde apertissime, solum tertium, ex illis peccatis esse peccatum mortale, reliqua vero duo esse venialia. Et hunc esse verum illorum verborum sensum, aperte docet Chrysostomus prædicta verba interpretans, homilia 16, super Matthæum, hæc dicens: Rhaca non grandis aliquid est sermo convitiis, sed magis de contemptu veniens, impatientiaque dicitur, ut ipsi nonnumquam, vel servilis, vel inferioribus quibuscumque aliquid imperantes, dicimus. Vade, Die illi. Sed etiam qui lingua utantur Syrorum, Rhaca, pro eo quo est, tu, dicere solent. Sed misericors Dominus, cum majoribus etiam, minima quæque delicta pariter evellit, præcipiens, ut mutuo nobismetipsis, & honorabilius utamur & cautius, ut per hæc majora quæque peccata moriantur. Post hæc verba Chrysostomus enumerat multa & gravissima mala, quæ ex convitiis oriri solent, & illis enumeratis, statim hæc quæ sequuntur ait: Quæ omnia Christus jam comprimens, eum quidem, qui sine causa irascitur, judicio condemnat: & idcirco dixit. Qui irascitur fratri sine causa, reus erit judicio. Eum vero qui dixerit Rhaca, reum pronunciat esse Concilio. Sed adhuc ista non magna sunt. Hæc etiam idcirco non sunt memorata supplicia, ut eum qui fratri suo fatue dixisset, gehennæ ignibus deputaret, modo certe primum nomen gehennæ commemorans. Quam enim prius multa de regno dixisset, nunc istius intulit mentionem, ostendens, quoniam illud quidem illius vocatus sit atque pietatis, hæc vero nostræ profecto desidia.

Vide autem quemadmodum gradatim faciat augmenta pœnarum, quodammodo excusans se tibi, atque demonstrans, quoniam ipse quidem nihil velit tale minari, nos vero illum ad ejusmodi denuntiationes pertrahamus. Id ipsum itaque diligenter expende. Dixi, inquit, noli irasci sine causa, quoniam reus erit judicio. Conrempsisisti fratrem. Vide quid peperit iracundia, ad iracundiam te continuo provocavit. Rhaca enim fratrem vocasti, cui rursus culpæ pœnam Concilii comminatur. Quod si ista quoque despiciens, ad majus verberis promoveri convitium, non jam ultra his in mercedibus vindicabo, sed immortalis illo gehennæ supplicio, ne jam etiam ad homicidium forte proflias. Hæctenus Chrysostomus, qui aperte satis in verbis Christi nostram Catholicam notat doctrinam, aliqua dicens majora peccata, ut puta, quæ digna sunt morte æterna, alia vero minima & levia, quæ videlicet non sunt tantum supplicio digna. Et eodem modo illa Christi verba interpretatur Gregorius, libro 21. moralium, capite quinto, ubi hæc ait: Sicut autem Dominus cuiusque convicti vias, sic dinumerat gressus, ut per minutissime quidem cogitationes ejus judicio, ac verba tenuissima quæ apud nos videntur usu, indiscussa remaneant. Hinc enim dicit: (Matth. 5.) Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui dixerit fratri suo Rhaca, reus erit Concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Rhaca quippe in Hebræo, eloquio vox indignantis est. Quæ quidem animum irascens offendit, nec tamen plenum verbum iracundiæ exprimit. Prius ergo ira re-

prehenditur sine voce, postmodum vero ira cum voce, sed nedum pleno verbo formata, ad extremum quoque cum dicitur fatue, ira redarguitur, quæ cum excessu vocis expletur etiam pestiferionis sermonis. Et notandum quod in ira perhibet reum esse judicio, in voce iræ, quod est Rhaca, reum Concilio, in verbo oris, quod est fatue, reum gehennæ ignis. Per gradus etenim culpæ crevit ordo sententiæ: quia in judicio adhuc causa discutitur: in Concilio autem jam causæ sententia definitur: in gehennæ vero ignis, ea quæ de Concilio egreditur, sententia expletur. Quia igitur humanorum actuum Dominus subtili examine gressus enumerat, ira sine voce judicio, ira in voce Concilio, ira vero in voce atque sermone, gehennæ ignibus mancipatur. Hæc Gregorius. Ex istis Christi verbis convincitur etiam error Lutheri, qui dicit omne peccatum in re nata esse veniale. Nam qui dixerit fatue, reus est gehennæ ignis. Rursus distinctio peccati mortalis & venialis, aperte colligitur ex aliis Salvatoris nostri verbis, quibus ait. Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Ex quibus verbis constat esse aliqua peccata, quæ in hoc sæculo remitti possunt: alia quæ in futuro. Ad peccata mortalia non remittuntur in futuro sæculo, quia illa ducunt hominem ad mortem æternam. Et lignum quod ad Aquilonem ceciderit, (ut Salomon ait (Eccle. 11.) ibi manebit. Peccata ergo quæ in alio sæculo dimittuntur, necessario sunt venialia: quia hæc sola sunt quæ igne purgatorio consumuntur. Et certe ex his Christi verbis convincere se putat beatus Gregorius, libro quarto dialogorum, capite trigesimo tertio esse locum purgatorii, in quo animæ a levioribus peccatis post hanc vitam purgantur, quæ in statu gratiæ decesserunt. Idem facit Bernardus sermone 66. super Cantica. Deinde, hæc peccatorum distinctio ex multis Pauli locis colligitur. Nam peccata mortalia in multis locis declarat, quum de multis peccatis dicit, illa excludere homines à regno Dei: à quo, ut à principio diximus, nullus, nisi propter peccatum mortale ejicitur. Quæ omnia Pauli testimonia evidenter etiam convincunt Lutherum dicentem, omne peccatum in re nata esse veniale, præter infidelitatem, quam dicit esse mortalem, Calvinus autem convincitur alio Pauli testimonio ex priore epistola ad Corinthios, ubi satis clare docet esse aliqua peccata venialia, sic dicens: (cap. 6.) Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus. Si quis autem superedificat super fundamentum hæc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne revelabitur? & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit, sicut tamen quasi per ignem. In quibus verbis per aurum, & argentum, & lapidas pretiosos, bona significavit opera ex gratia, & consumuntur, significantur peccata venialia, & non mortalia: quia qui illa superedificaverit super fundamentum quod est Christus, Paulus dicit fore salvum, sic tamen quasi per ignem. Et hunc esse verum Pauli sensum, jam superius in titulo de fide,

de

de hæresi secunda, convincimus contra hæreticos: qui illa Pauli verba nituntur in alium sensum detorquere: & inferius in titulo de purgatorio, hæresi prima hoc idem testimonium sanctorum patrum comprobabimus. Est adhuc aliud Pauli testimonium pro peccato veniali in epistola ad Hebræos (cap. 5.) ubi de officio Sacerdotis agens, hæc ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis que sunt ad Deum: ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolare possit iis qui ignorant & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam, & pro seipso offerre pro peccatis.* Ex istis Pauli verbis Hieronymus, libro 2. contra Pelagianos colligit esse aliqua peccata, quæ simul stant cum iustitia: quoniam non est tanta illorum malitia, neque adeo iustitiæ repugnant, ut illis advenientibus statim iustitia peccat. Sic enim ait: Numquam pro aliis juberetur offerre, nisi iustus ipse esset: neque rursus pro se offerret, nisi peccato care- ret. Hæc Hieronymus. Ex cuius verbis apertissime constat illum sentire, Sacerdotem iustum in peccato veniali existentem, & pro suo peccato orantem, & hostiam offerentem impetrare à Deo sui peccati veniam. Nam si in peccato mortali oraret, & hostiam offerret, non impetraret sui peccati indulgentiam, sed magis auget peccatum, & Deum magis ad iram concitaret. Concordat Paulo Jacobus Apostolus, qui semel & iterum docet aliqua esse peccata, quæ non sunt mortalia. *Unusquisque vero tentatur, inquit ille, (cap. 1.) à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* In quibus verbis duo peccatorum genera manifestat: unum quod non est consummatum, & de hoc non dicit quod generat mortem. Alterum est consummatum, & hoc dicit generare mortem. Primum peccatum est affectio prava à concupiscentia carnis genita, in qua voluntas aliquam parvam moram traxit sine vera deliberatione rationis, & hoc est peccatum veniale. Dicitur autem non consummatum peccatum, quia factum est sine illa advertentia & deliberatione, quæ necessaria est ad consummationem peccati. Quum autem intellectus recte advertit, & voluntas noluit reprimere illos motus à concupiscentia procedentes, nec voluit allidere parvos illos ad petram, sed ex deliberatione consentit, tunc est jam consummatum peccatum, & tunc generat mortem, diciturque ob eam causam peccatum mortale. Et hunc esse verum & germanum illorum verborum Jacobi sensum, constare facile potest ex illis, quæ dicit Beda in Commentariis, quæ fecit supra epistolam Jacobi, ubi prædicta verba interpretans, hæc ait. Tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione, consensu. Suggestione hostis, delectatione autem, vel etiam consensu nostræ fragilitatis: quod si hostis suggerente, delectari, aut consentire peccato nolumus, tentatio ipsa nobis ad victoriam prove- nit, qua coronam vitæ mereamur accipere. Si vero & hostis suggestione, paulatim à recta intentione abstrahimur, & vitio incipimus illi, delectando quidem offendimus, sed necdum lapsum mortis incurrimus. At si delectationem concepti corde facinoris, etiam partus pravæ sequitur actionis, nobis jam mortis reis victor hostis abscedit. Hæc Beda. In quibus verbis aperte docet ex verbis Jacobi esse quædam Dei offensas, per quas non incurrimus lapsum mortis, esse rursus alias, quæ nos efficiunt mortis reos. Sed oportet hic admonere minus cautum, & non admodum doctum lectorem, ut per illa verba Bedæ, par-

tus pravæ actionis, non intelligat solam opus exterius perpetratum, sed illam etiam volitionem, qua vult ipsum scelus operari: quia illa volitio est quæ verius, quam opus externum dicitur actio, & quæ vere etiam sine opere exteriori est peccatum mortale. Et hoc testimonio Jacobi simul cum Commentario Bedæ, non solum convincitur Calvinus, sed etiam Lutherus, dicens omne peccatum hominis baptizati esse veniale, præter infidelitatem. Nam Jacobus de omni peccato, quod à concupiscentia oritur, dixit. *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem.* Ex quo testimonio evidentissime colligitur, non solum infidelitatem esse peccatum mortale. Est adhuc aliud ejusdem Jacobi testimonium, quo aperte probatur non omne peccatum esse mortale, sed aliquod esse veniale. *In multis, inquit ille, offendimus omnes.* Quæ verba nullo modo possunt intelligi de offensa peccati mortalis, quia falsum esset, quod omnes, etiam si de solis adultis loquamur, offendunt Deum in multis peccatis mortalibus. Nam aliqui fuerunt sancti, quos nunquam peccasse mortaliter tota hæcenus semper docuit Ecclesia, ut fuit sanctissima virgo Dei genitrix, & Joannes Baptista & Hieronimus, qui duo in utero matris sanctificati fuerunt. Quod autem de hujusmodi peccatis venialibus locutus fuerit Jacobus, testatur Beda in Commentariis super eandem epistolam, ubi præfata verba declarans, hæc ait: Præmissis in multis, subjunxit omnes: ut tanto cautius se imperfecti quique in agendo, vel loquendo circumspicerent, quanto certius cognoscerent, quia nec perfecti quidem boni, & qui Spiritus Sancti gratia duce incedunt, hujus vitæ viam absque offensione peccati alicujus transire ullaatenus possint, juxta quod alibi scriptum est. *(Job. 15.) Celi non sunt mundi in conspectu ejus.* Et sicut Salomon ait. *(Ecl. 7.) Quia non est homo justus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Hæc Beda. Ecce vides, Calvinus, viros perfecte bonos esse in peccato, & non mortali: quia tale peccatum non admittit perfectionem bonitatis: ergo aliquid est peccatum, quod non est mortale. Præter hæc omnia tam manifesta sacra scripturæ testimonia, unum mihi occurrit argumentum, quod satis mihi esse videtur ad convincendum simul Lutherum & Calvinum. Nam cum hi duo in hæc parte sint in duobus oppositis extremis constituti, & ambo velut ex diametro pugnent, ambo tamen sunt in Deum blasphemii, & illum manifesta injuria afficiunt. Nam Calvinus dicens omne peccatum esse mortale, & morte perpetua dignum, Deum pronuntiat nimis austerum & severum, ne dicam crudelem. Severitas quidem, & austeritas non modica esset, si ob quamlibet levissimam offensam Deus hominem morti perpetuæ adjudicaret. Non posset certe tunc jugum Christi dici suave, & onus ejus leve, sed potius esset tam grave, quod nec nos, nec patres nostri, immo nec ullus hominum portare posset. Vix enim ullus homo posset esse justus, si Deus minimam quamque offensam æstimaret peccatum mortale: quia fere nullus est, qui sæpe quotidie non peccet. Esset etiam Deus levis, & inconstans amicus, si ob quamlibet levissimam offensam rescinderet semel contractam amicitiam. Nam ipsa natura nos docet, multa esse amicis condonanda. Hæc igitur omnia considerans non possum, non compati Calvinus & misereri illius: quoniam timeo ne, juxta id quod Jacobus (cap. 2.) ait: *Judicium sine misericordia Deus faciat illi, propterea quod censet illum tam parum esse misericordem.* Timeo ne juxta illam quam putat Deum ad omnes dedisse legem, illum examinare & judicare velit,

lit, puniens omne peccatum illius perinde, ac si vere peccatum mortale fuisset. Quod si Deus ita facere decreverit, dubio in aliquis acerbior, & intolerabiliorem gehennam in inferno patietur. Nec minorem, quam Calvinus facit Deo injuriam Lutherus, quum dicit omne peccatum post baptismum susceptum esse veniale, præter infidelitatem, quam solum dicit esse peccatum mortale: nam hæc dicens, censet Deum nimis remissum & parum justum, propterea quod pessimis & sceleratissimis hominibus, & quibus multis & gravissimis rebus nocent proximis suis, facile indulgeat. Hæc autem tanta facilitas veniæ, ut ipsa constet, manifestum præberet hominibus incentivum delinquendi. Hoc vero si Lutherus Deo tribuere non erubescat, manifestum contra Deum dicit blasphemiam: quia constat Deum tam anxium & sollicitum fuisse avertendi homines à peccatis, ut non fuerit contentus nobis prohibere peccata, sed etiam omnes omnium peccatorum occasiones. Non satis est credere Deum misericordem, nisi etiam credamus justum: quia, ut ait Sapiens, *(Prov. 20.) misericordia & veritas custodiunt Regem.* Et Propheta Regius ait: *(Psal. 98.) Honor Regis judicium diligit.* Accedit ad hæc omnia concors sacrorum omnium Doctorum sententia: quia omnes Catholici citra omnem controversiam semper hæcenus docuerunt, esse aliqua peccata mortalia, & aliqua venialia. Quamquam illi antiquiores Doctores aliis nominibus sunt usi, dicentes aliqua esse peccata gravia, alia levia. Quæ illi priores dixerunt levia, posteriores appellant mortalia: & quæ illi dixerunt gravia, isti appellant venialia. Scholasticus Theologus nolo impræsentiarum citare: quoniam Lutherus & Calvinus eos omnes hæc sola ratione, immerito tamen, rejiciunt, quod Scholastici sunt. Richardus de sancto Victore extra scholam est, & opusculum ædidi hoc titulo & nomine inscriptum, de differentia peccati mortalis & venialis. Anselmus super illud Apostoli ex priorie epistola ad Corinthios: *(cap. 3.) Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, &c.* aperte docet esse aliqua levia peccata quæ à iustis in futuro sæculo, in purgatorio igne consumuntur. Haymo eadem verba Pauli declarans in Commentariis super epistolam Pauli, eandem prorsus sententiam docet, sed multo melius quam Anselmus: & ideo istius verba hic citare decrevi Anselmi verbis dimissis. Per aurum, inquit Haymo, & argentum, & lapides pretiosos, possumus intelligere bona opera virtutesque præclaras: per sœnum vero, lignum, stipulam, levia peccata, sicut est otiosus sermo, risus inhonestus, & cætera talia. Per plumbum vero, ferrum, atque stannum, quæ sancti Doctores addunt, gravia & immanissima peccata quæ à regno cælorum separant. Igitur sicut aurum & argentum, & lapides pretiosi igne probantur, & tamen non consumuntur: ita in die iudicii qui habuerint bona opera, & bonam prædicationem, licet per ignem transeant, tamen nullam pœnam, neque læstram sustinebunt: qui vero habuerint levia peccata, transeundo per ignem expiabantur: quia consumuntur ibi sicut sœnum, vel stipula, sive ut ligna comburentur ab igne, tamen ipsi non remanebunt in igne, sed mundari & probati ascendent ad Dominum. At, qui habuerunt gravia peccata, quæ à regno cælorum separant, sicut ferrum & plumbum, sive stannum, liquebunt quidem, sed non deficiunt per ignem: ita illi ponderis peccatorum gravitati, remanebunt in igne, & sustinebunt pœnas non deficientes. Hæcenus Haymo. Desinat ergo mirari Calvinus, & arguere patres Concilii Tridentini, propterea quod in suis definitionibus dixerunt esse aliqua levia peccata, ac

si patres illi fuissent primi, qui peccata aliqua dixerunt esse levia. Certe Anselmus ante quingentos annos fuit, & Haymo ante septingentos: & ambo docent esse aliqua peccata levia, sic appellata, quia non sunt digna, ut morte æterna puniantur. Ex Beda, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo non est opus nova citare testimonia, quia sufficiunt ea quæ ex illis jam in hac disputatione citavi. Augustinus sæpissime nominat peccata venialia, & illa dicit esse levia, & à peccato mortali longe distantissima. In libro de bono conjugali, cap. 6. hæc ait: *Conjugalis enim concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiatione, sed tamen cum conjugate, propter fidem thori, veniale habet culpam: adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam.* Et in eodem libro, capite nono iterum ait: *Sane videndum est nobis, alia bona nobis Deum dare, quæ propter seipsum expectanda sunt, sicut est sapientia, salus, amicitia: quæ propter aliquid sunt necessaria, sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium, concubitus. Horum enim quedam necessaria sunt propter sapientiam, sicut doctrina: quedam propter salutem, sicut cibus, potus, somnus: quedam propter amicitiam, sicut nuptiæ vel concubitus: hinc enim subsistit propagatio humani generis, in quo societas amicabilem magnum bonum est. His itaque bonis quæ propter aliud necessaria sunt, qui non ad hoc propter quod instituta sunt utitur, peccat alias venialiter, alias damnabiliter.* Hæc Augustinus. In quibus verbis apertissime distinguit peccatum veniale à mortali. Et peccata levia nominat in libro de spiritu & littera, capite trigésimo sexto, sic dicens: *Peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitæ consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus, & flagitiis perpetrandis: verum etiam in istis levioribus, ut vel aurem alicui vocem, quæ audienda non esset, vel linguam alicui quæ dicenda nobis esset, accommodet.* Et libro primo de symbolo, capite sexto, cathecumenos alloquens, ait: *Non vobis dico, quia sine peccato hie viveris: sed sunt venialia, sine quibus vita non est.* Propter omnia peccata baptismus inventus est. Propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Hæc Augustinus. Accusa ergo Calvinus Augustinum, propterea quod aliqua peccata dixit esse levia: irride illum & subanna, sicut propter eandem causam subannasti Patres Concilii Tridentini. At illi nolunt retaliare subannationem tuam, sed potius Christum magistrum nostrum æmulantes, cum his qui oderunt pacem volunt esse pacifici, quia sequuntur bonitatem. Timent tamen ne tibi eveniat id quod Salomon de Deo loquens, ait: *(Prov. 3.) Ipse deludet illusores.* Sed jam opus est, ut respondeamus argumento, quo nos premere putat Calvinus. Si pro nihilo, inquit ille, ducant leviores, quos vocant lapsus, insonat horribilis illa supremi iudicis sententia: *(Mat. 5.) Qui unum ex istis minimis mandatis contempserit, minus vocabitur in regno cælorum.* Hæc ille. In hoc argumento Calvinus resecat ipsam Bvangeliæ litteram, ut illa possit aliquo modo uti ad sui erroris comprobationem, prout alias sæpe faciunt hæretici tollentes à sacris litteris, ea quæ cum suis assertionibus pugnant. Nam Calvinus in illa Christi verba, quæ nunc pro se citavit, non protulit integra, sed abstulit ab illis ea, ex quibus tota illius sententiæ vis penderet. Abstulit enim hæc verba: *Et docuerit hæc homines.* Sic enim Christus ait: *Qui ergo solaverit unum de minimis mandatis istis, & docuerit*